Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.
Wien, 1794 Seite 2791
Quelle:
Copyright:

ca ordiatur. Cetera de Autore et Interprete nostro plenissime executus est supra cit. *Joseph Sim. Assemanus*, cui, quod addam, non habeo, nisi existere, praeter Editiones ab eo allatas, saltem *duas* sine nota temporis: unam V. Sermonum in 4. alteram in *fol.* quae plures Sermones complectitur. Editionem item *Brixianam* 1490. quam illi, ut ait, videre non licuit, factam esse per *Presbyterum Baptistam Farfengo 1490 die 15. Novembris*, 4. ut nil dicam de altera *ejusd. loci* et *anni*, quam e *Caillio*, non optimae fidei teste, opera *Jacobi Britannici* peractam excitat *Maittairius*.

XXII. *fol.* 251. Commentarii litis in concilio *Basileensi* agitatae de Praepositura Cathedralis Ecclesiae *Wratislaviensis*, quam *Eugenius* IV. an. 1438. contulerat *Nicolao Goltberg* ejusdem Ecclesiae Canonico, quamque sibi vindicatum ibat συμμυστης ejus *Nicolaus Gramus* corruptis *Conradi* sedis illius Episcopi literis. Non invenio in *Actis Concil.* nec in *Georgischii Regest. Chron. Dipl.*

XXIII. *fol.* 259. Oratoris *Friderici Ciliae* Comitis ad Papam *Eugenium* IV. Adlocutio, qua hunc de perpetua Domini sui observantia securum esse jubet. Initium est: *Existimat certe beatissime pater Illustris princeps et dominus mihi gratiosus atque benefactor dominus Fridericus Cilie Ortemburge Sagorieque &c. dominus B. V. deuotus filius* &c. Inter alia: *Superioribus namque diebus pulsatus nimia sollicitudine per multos non tantum minores solum, similiter pulsavit illum R. p. d. ludouicus Aquilegen. patriarcha suis epistolis atque multiplicibus nuntijs quibus nescio variis persuasionibus, vt tue S. gubernacione derelicta se ad conuentum quendam loci Basilien. diuerteret illique se adiungeret et adhereret, adhesionemque Regis Romanorum* (Alberti) *et expressam suam declarationem illi procuraret* &c. sed perstiturum illum fortiter contra haec omnia &c. Acta haec post an. 1436. quo *Sigismundus Cilejae* Comites Principum titulo condecoravit, non extant in *Collect. Concc.* nec in *Mansii Suppl.* Oratoris nomen paullo inferius innotescet.

XXIV. *fol.* 259. p. 2. Schema *Repetitionis* pro consequendo *gradu* in Iure Canonico in Academia *Patavina*. Incipit: *Constitutus in presentia Venerabilis et eximii Decretorum Doctoris domini Antonij Zeno Canonici Papiensis et Vicarij in spiritualibus generalis Reverendissimi in christo patris et domini domini Petri Donato dei et apostolice sedis gratia Episcopi Paduani* &c. Scriptum igitur ante an. 1447. quo *Petrus Donatus* obiit. Speciminis loco disseritur in Can. *Sententia pastoris XI. q. 3.* et in C. *cum teneamur de app.* Quibus excussis subditur: *Postea surge et dic: Egregij &c. expeditus de punctis mihi per dominationes v. assignatis me submitto.* Item Elenchus *expensarum in primo examine* sat luculentarum, in quo praeter *trumpetas* et *Cyrotecas* etiam 16. *Angastarii* (Ang-